

37 In Completorio quatuor Psalmi recitantur, quia per ipsos quatuor elementa corporis nostri Domino commendamus. In primo enim psalmo cum Christo quietem posuimus *In pace in id ipsum dormiam, & requiescam*. In secundo ad ea verb. que protulit Christus in extremo vitæ: *In manus tuas* &c. optatus mori cum eo. In tertio, & quarto contra tentationes nocturnas armamur. Amalarius lib. 4. de Offic. cap. 8. & de ordin. Antiphon. cap. 7. Gavanti. cit. sect. 4. cap. 6. numer. 7. & alii.

38 Hinc habes, quod si dividas omnes psalterii psalmos per Horas, ad Matutinum recitantur in tota hebdomada 91. ad Laudes 13. ad Vesperas 35. ad alias Horas 11. qui omnes faciunt summam 150. quibus constat Psalterium. Gav. loc. cit. sect. 5. cap. 8. num. 7.

39 Psalterium autem, quo Romana Ecclesia utitur, est ex translatione Romana & S. Hieronymi teste Rodulph. propos. 8. & differt à psalterio translationis septuaginta Interpretum, quod adhibetur Romæ in Æde Vaticana S. Petri, quo etiam utuntur Ambrosiani. Gavanti. cit. sect. 5. cap. 6. num. 4. Unde S. P. N. Seraphicus Franciscus in c. 3. suæ Regule, ubi excipit ab Officio Divino psalterium, intelligit de dicto psalterio translationis septuaginta Interpretum, quod in Vaticana Sancti Petri est in usu antiquissimo. Gavanti. cit. sect. 5. cap. 8. num. 2. S. Bonaventura citatus, & secutus à Petro Marchanti. in expositione dictæ Regule cap. 3. q. 4.

40 Ultra supradictos centum quinquaginta psalmos habentur in Breviario ex Sacris Literis Cantica distributa, & posita in unaquaque die Hebdomadæ loco quartii psalmi Laudum, nempe die Dominica Canticum *Benedicite omnia opera Domini Domino*, quod est trium puerorum, *Daniel*. cap. 3. Feria 2. Canticum *Confitebor tibi Domine*, quod est *Isaia* cap. 12. Feria 3. Canticum *Ego dixi*, quod est *Ezechia Regis*, *Isaia* cap. 38. Feria 4. Canticum *Exultavit cor meum*, quod est Annæ Matris Samuelis, 1. Regum cap. 2. Feria 5. Canticum *Cantemus Domino*, quod est Moysis, *Exodi* cap. 15. Feria 6. Canticum *Domine, audivi*, quod est Habacuc, *Habacuc* cap. 3. Sabbat. Canticum *Audite Cæli*, quod est Moysis, *Deut.* cap. 32.

42 Ex Evangelio habentur in Breviario alia tria Cantica, nempe Canticum *Magnificat*, quod est B. M. V. *Luca* cap. 1. & recitatur, seu canitur in Vesperis. Canticum *Benedicite Dominus Deus Israel*, quod est Zachariæ Patris S. Joannis Baptistæ, *Luca* cap. 1. & recitatur, seu canitur in Laudibus, & Canticum *Nunc dimittis*, quod est Simeonis, *Luca* cap. 2. & recitatur, seu canitur in Completorio.

43 Etiam varii Psalmi prænotantur in psalterio cum titulo Cantici, ut Canticum *Psalmi*, & alii cum titulo *Psalmus Cantici*. Unde ad plenorem intelligentiam notandum est, quod hoc interest inter Psalmum, Canticum, Psalmum Cantici, Canticum Psalmi, & Hymnum, quod *Psalmus* est carmen cum instrumento Psal-

✠ S. Hieronym. ter circa Psalterium insudasse communior Sententia est inter Eruditos. De versione psalterii ex Hebraico fonte non loquor, cum numquam in usu fuerit, vel apud Ecclesiam Romanam, vel penes aliam quamcumque Ecclesiam. De emendatione igitur psalmodum, juxta septuaginta Interpretum versionem, est sermo, in qua elaboranda bis S. Doctor suum impendit laborem. Hujusmodi emendationes sub nomine *Psalterii Romani*, & *Psalterii Gallicani* vulgo recensentur. De utraque sermonem habet S. Doctor in *Præfatione*, seu *Prologo in Librum psalmodum*. Psalterium Romanum adhuc in usu est in Vaticana Basilica. Gallicano psalterio utitur in Romano Breviario, atque illud est, quod insertum habemus in Vulgata Latina editione. Hæc tria sunt. Hinc constat, quantum à vero aberret Auctor noster hocce in libro. * Leges Dissertationem P. D. Augustini Calmet in textum, & veteres Psalmodum Versiones Art. III. ✠

terii; *Canticum* est vox musica cum harmonia ore solo prolata; *Psalmus Cantici* dicitur, dum Cantore præcipientem, organi modulatio subsequitur; *Canticum Psalmi* è contra, quod vox humana concentum sequitur. Organi; *Hymnus* autem est sermo in Dei laudem metricè compositus, sive ore, sive humana voce, sive instrumento musico recitatus. Sic colligitur ex Sanctis Hieronymo, & Chrysostomo in *Proleg. Psalm. Frassen. disquisit. Biblica* §. XI. de libro *Psalmor. n. 2.* Ethymio citato, & secuto à Gavanti. loc. cit. sect. 5. cap. 9. n. 1. & aliis.

Psallendi ordo sequendus, quem tenet Ecclesia Metropolitana, cap. De his 13. dist. 12. ex Concilio Tolentino 11. cap. 3.

Psalmi vulgares non possunt in Ecclesia recitari. 46 Concil. Bracharen. 11. cap. 67.

Psalterium B. M. V. quod ex 150. Ave Maria constat, ad instantiam Ducis Britannie recitari concessit cum indulgentiis Sixtus IV. Const. 18. incip. *Ea que.*

Psallendi debent omnibus in Choro incumbit, etiam Dignitatibus, & Canonicis, quacumque contraria consuetudine, aut presumpto privilegio non suffragante. Bened. XIV. tom. 1. Constit. incip. *Cum semper* §. 24. (Nota. Plura hic Auctor sine fundamento alioque adducit, ideo Lectores admonuisse oportuit.)

Vid. add. omis. in fin. tom. pag. 356.

PUBERTAS. Vide verb. *Matrimonium* art. 1. à numero. 31. ad 37.

PUBLICA HONESTAS. Vid. verb. *Impedimenta Matrimonii* art. 2. à num. 20. ad 27.

PUNCTATOR, PUNCTATURA.

SUMMARIUM.

- 1 Punctator retinere debet librum in loco publico, ibique deficientes adnotare, ac librum ostendere cuiusque postulanti.
- 2 Contrapunctator ejusdem Ecclesie eligendus, ut confrontatione, si opus sit, possit detegi fraudes.
- 3 Compelli possunt Punctatores ad exhibendum librum Ordinario, non vero ad oretenus eidem quotidie significandam deficientes.
- 4 Potest Episcopus cogere Canonicos ad præstandum juramentum de fideliter punctando in Choro.
- 5 Punctatores conveniunt prætermittentes punctare punctandos graviter peccant, & tenentur de proprio restituere distributiones, que accrescerent interessentibus.
- 6 Pœna Censurarum imponi non debet non restituenti damnium ex omissione punctandi, sed carceris ad triennium, & simillium.
- 7 Punctaturæ dari debent interessentibus, licet ex Decreto Episcopi applicanda essent aliis piis utibus.
- 8 Distributiones amissæ à Canonicis absentibus accrescent interessentibus quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili, non obstante.
- 9 Salarium debetur Punctatoribus.
- 10 Canonici confabulantes in Choro sunt punctandi, & privandi distributionibus tamquam absentes.
- 11 Canonici non interessentes Canonii tempore Quadragesimæ possunt punctari.
- 12 Canonici non possunt exire à Choro, nisi petita venia à Majori, seu presidente sub pœna punctationis.
- 13 Episcopus potest augere punctationes, & quando servitium Ecclesie minuitur.
- 14 Canonici in Choro, vel in Ecclesia Divinis Officiis interessentes sine Habitu Canonicali, & Superpelliceo debent punctari.
- 15 Novem menses, quibus Canonici residere tenentur quolibet anno, non numerandi ex collectione punctaturarum, sed ex collectione dierum residentie, & servitii.

Punctator retinere debet librum in loco publico, ibique deficientes adnotare, ac librum ostendere cuiusque

que postulanti. *Sacr. Congr. Episcop. in Pistorien.* 19. Nov. 1649.

2 Contrapunctator ejusdem Ecclesie eligendus, ut confrontatione, si opus sit, possit detegi fraudes. *Sacr. Congr. Episcop. in Fundana* 15. Februarii 1593. & in *Lykien.* 18. Februarii 1602.

3 Compelli possunt Punctatores ad exhibendum librum Ordinario, non vero ad oretenus eidem quotidie significandum deficientes. *Sacr. Congr. Episc. in Castellaten.* 20. Aug. 1692.

4 Potest Episcopus cogere Canonicos ad præstandum juramentum de fideliter punctando in Choro. *Sacr. Congr. Concil.* 17. Mart. 1619. apud Barbos. de *Canonicis* n. 20.

5 Punctatores, quorum electio spectat ad Capitulum, ut decrevit *Sac. Congr. Concilii in Conversanen.* 4. Decemb. 1706. admonendi sunt, quod si convenerint prætermittant punctare eos, qui juxta Ecclesie, & Collegii statuta punctandi sunt, tenentur de proprio restituere distributiones, que accrescerent interessentibus; Et ulterius graviter peccant, prout illos monendo tradit *Episcopus Gravimen.* in suo tractatu *L' Ecclesiastico in Coro* cap. 27. n. 33. his verbis: "Or se nondimeno i punctatori per riguardi umani d' affetto, timore, speranza, qual altro sia, tralasciano di puntare i diffettanti, vengono ad essere ladri sfacciati, perchè levano palesemente l' emolumento à chi tocca per ragione di accrescimento, o altro titolo, e lo danno a chi per legge non tocca; Oltre di che si rendono elligio stessi rei del disservigio di Dio sul punto geloso del Divino suo pubblico culto, ed il loro peccato viene a contrarre certo che del grande coram Deo cotanto da lui detestato in questi suoi Ministri, i quali retraherant homines à sacrificio Domini;" Sic apud Monacell. t. 4. supplement. ad 1. tom. n. 148.

6 Pœna Censurarum imponi non debet non restituenti damnium ex omissione punctandi, sed carceris ad triennium, & simillium. *Sacr. Congr. Episcop. in Castellaten.* 2. Augusti 1602. apud Nicol. in *Flosculis verb. Punctator* n. 6.

7 Punctaturæ dari debent interessentibus, licet ex Decreto Episcopi applicanda essent aliis piis utibus. Statutum in contrarium. *Sacr. Congr. Episcop.* 16. Junii 1601. apud Nicol. loc. cit. n. 7. & sæpe alibi, ut refert idem Nicol. in *Flosculis verb. Distributiones sub* num. 6. Distributiones enim amissæ à Canonicis absentibus accrescent interessentibus, quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili, non obstante; *Sacra Congregat. Concil.* in *Civitatibus Castellane* 30. Aprilis 1623. & in *Niceni.* 18. Novemb. 1628. & sæpe alibi apud Nicol. cit. verb. Distributiones sub n. 6.

8 Salarium debetur Punctatoribus. *Sacr. Congregat. Episcop. in Meliten.* 16. Aprilis 1602. apud Nicol. loc. cit. num. 5.

9 Canonici confabulantes in Choro sunt punctandi, & privandi distributionibus tamquam absentes. *Sac. Congr. Episcop. in Nucerna* 7. Septemb. 1591.

10 Canonici non interessentes Concioni tempore Quadragesimæ possunt punctari, quia est defectus gravis, & mali exempli. *Sacr. Congr. Episcop. in Comenti.* 10. Maii 1580. & in *Castellaten.* 20. Augusti. 1602. & alibi, ut refert Pignatelli. t. 4. consultation. 206. n. 61.

11 Canonici non possunt exire à Choro, nisi petita venia Archidiacono, sive Presidente per salutationem sub pœna punctationis. *Sac. Congr. Episc. in Aprutina* 18. Apr. 1616. & *Sacr. Congr. Conc. in Lunen. Saranen.* 3. Junii 1702. ad 1.

12 Episcopus potest augere Punctaturas, quando servitium Ecclesie negligitur. *Sac. Congr. Concil. in Civitatibus Castellane* 25. Junii tom. 1. 1697. apud Monac. t. 2. form. 4. n. 4.

13 Canonici in Choro, vel in Ecclesia Divinis Officiis interessentes sine Habitu Canonicali, & Superpelliceo debent punctari. *Sac. Congr. Rit. in Lunen. Saranen.* 3. Martii 1633.

Ad colligendum servitium novem Mensium, quibus residere tenentur Canonici quolibet anno, non sunt colligenda Punctaturæ, quasi ibi qui novem partes punctaturarum ex duodecim habuerint, servitium novem mensium debeant satisfacere, sed ipsi dies residentie, & servitii sive continui fuerint, sive interpolati, numerandi sunt ad complementum dictorum novem Mensium. *Sac. Congr. Episc. in Aquilana* 25. Septemb. 1584. apud Barbos. de *Canonicis* cap. 26. n. 14.

PURGATORIUM.

SUMMARIUM.

- 1 Purgatorium quid sit?
- 2 Dari Purgatorium est de Fide, & habetur ex 2. Machabæorum, cap. 12.
- 3 Item habetur ex 4. Tobia.
- 4 Item ex 4. Isaia.
- 5 Item ex 7. Michea.
- 6 Item ex 3. Malachia.
- 7 Item ex cap. 5. Matthæi, & 12. Luca.
- 8 Item ex ipsius *Matthæi* cap. 12.
- 9 Item ex 1. ad Corinth. 3.
- 10 Item ex 1. ad Corinth. 15.
- 11 Alia plura Scripturæ loca brevitate gratia relinquuntur videnda cum variis Conciliis, pluribus Sanctis Patribus, & solidis rationibus apud graves Auctores, qui assignantur.
- 12 Purgatorii locus communis secundum Legem communem, & ordinariam Dei est in ipsis terræ visceribus, & Inferno conjunctus.
- 13 Secundum autem Legem Dei particularem, & Dispensationem Divinam interdum aliquibus animabus destinatur pro Purgatorio aliquis locus particularis.
- 14 Purgatorium non est æternum, sed temporale.
- 15 Purgatorium non est ultra diem Judicii universalis duraturum.
- 16 Anima in Purgatorio plene purgata recipiuntur in Beatitudine ante diem Judicii.
- 17 Quanto tempore unaquaque Anima in Purgatorio detinetur?
- 18 Anima in Purgatorio cruciantur vero igne corporeo, & ejusdem speciei cum nostro elementari.
- 19 Anima in Purgatorio non torquentur à demonibus.
- 20 Nec obstant visiones, & apparitiones, que id videntur ostendere.
- 21 An Anima in Purgatorio existentes possint pro nobis orare, & aliquid nobis de congruo mereri, vel impetrare? An miracula facere possint? cum plurimis aliis ad rem, remissive.
- 22 Subnectuntur Supplementa Auctoris, ad n. 23.

Purgatorium est quidam locus, in quo tamquam in carcere post hanc vitam purgantur Animæ, quæ in hac non plene purgatæ fuerint, ut nimirum sic purgatæ in Cælum ingredi valeant, in quod nihil coquinatum introire potest; Est in re Communis inter Catholicos.

Dari Purgatorium est de Fide; Communis inter Catholicos, ex Concil. Trident. sess. 6. Canon. 30. sess. 22. cap. 2. & Canon. 3. & sess. 25. in *Decreta de Purgatorio*, & habetur ex pluribus Sacræ Scripturæ locis tum veteris, tum novi Testamenti; Et quidem ex veteri Testamento habetur 2. *Machabæorum* cap. 12. ubi expresse dicitur: *Sanctæ ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur*: Quæ verba cum neque de Beatis, neque de damnatis intelligi possint, sequitur necessario intelligenda esse de illis, qui in Gratia Dei ab hac vita decedentes non plene satisfecerint, & adhuc aliqua vincula habeant, à quibus post mortem solvi queant fidelium suffragiis, & potissimum acceptabili Altaris Sacrificio, ut dicit Concilium Tridentinum

ser. 26. in Decreto de Purgatorio; & proinde dari Purgatorium, & Sacrificia, & Orationes vivorum prodesse defunctis illis, qui inibi pro plena purgatione, & satisfactione detinentur: Purgatorium esse, Animasque ibi detentis fidem suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris Sacrificio juvari, sunt verba Concilii Trid. Item habetur ex cap. 4. Tobie, ibi: *Pone panem tuum, & vinum super sepulcrum justis constitue*, quod Sacri expositores intelligunt de pane, & vino quod Deo in Sacrificium pro Animabus justis offertur, & de illo, quod elargitur in sustentationem pauperum, & Religiosorum, & Sacerdotum, ut pro ipsis defunctis orent, ut dicitur Turrianus lib. 4. pro Epist. Pont. cap. 14. Mastrius in Theolog. mor. disp. 24. q. 1. art. 1. n. 4. Bellarm. de Purgatorio lib. 1. cap. 3. lit. B. & alii. Unde S. Joannes Chrysost. homil. 32. in Matth. sic habet: *Cur, inquit, post mortem tuorum Pauperes convocas? Cur Presbyteros, ut pro eis velint orare, observas?*

Item habetur ex cap. 4. Isaie ibi: *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu Judicii, & spiritu ardoris, ubi alii legunt: Purgavit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem mundabit de medio earum in spiritu Judicii & spiritu ardoris*, quem locum de Animabus, & penis Purgatorii intelligunt S. Augustinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 25. Bellarm. loc. cit. lit. E. Mastrius loc. cit. n. 4. & alii.

Item ex cap. 7. Michae, ibi: *Ne lateris inimica mea super me, quia cecidi, consurgam cum sedero in tenebris, Dominus latus meus est; Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei: donec cautam meam judicet, & faciat iudicium meum, educet me in lucem, justitiam ejus videbo. Quem locum afferri solum pro Purgatorio docet S. Hieronymus in cap. ult. Isaie, & Glossa ordinata exponit Iram Domini portabo hic, vel in Purgatorio.*

Item ex cap. 3. Malachie, ibi: *Ipsa enim quasi ignis confans, & quasi herba fullonum, & sedebit confans, & emundans argentum, & purgavit Filios Levi, & colabit eos*. Quem locum exponunt de poena purgatorii Origines hom. 6. in Exod. S. Ambrosius in psalm. 36. S. Augustinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 25. & S. Hieronymus in hunc locum, & Bellarm. loc. cit. cap. 3. in fine, ubi dicit ex illa poena purgatoria viventium recte inferri poena purgatoria, seu Purgatoriam Defunctorum.

In novo autem Testamento habetur ex c. 5. Matthaei n. 26. ibi: *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius Judici, & Judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem; dico tibi: Non exies inde, donec reddas novissimum quadrante. Et concordat cap. 13. Lucae n. 58. ibi: Cum autem vadis cum adversario tuo ad Principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte tradat te ad Judicem, & Judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem; dico tibi: Non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas. Quae loca passim ad probandum Purgatorium adducuntur à Patribus, & signanter à S. Augustino in cit. cap. 5. Matthaei, & Homil. 1. de verbis Domini, Homil. 4. in l. 50. Homiliarum, & in lib. de decem cordis cap. 3. S. Ambrosius, S. Bonaventura, & Beda in cit. cap. 12. Lucae, S. Gregorius Homil. 39. S. Bernardus term. 95. in Cantica, cap. 7. vers. Est ergo verissima Expositio, & alii dicentes, pro Adversario in dictis locis intelligi Legem Dei, quatenus praecipit contraria carni, sive Conscientiam, quae Dei Legem semper objicit peccanti; Lex enim Dei, & Conscientia nostra semper sunt nobiscum in via, & semper adversantur nostris pravis desiderijs, itaque utilissimum est cito consentire, & ab eorum inimicitia liberari; & denique accusatores, & testes erunt contra nos in Judicio, ut recte observat Bellarm. loc. cit.*

Item ex cap. 12. Matthaei n. 32. ubi Dominus dicit esse quoddam peccatum, quod non remittitur, neque in hoc seculo, neque in futuro, ibi: *Qui autem dixerit*

contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro; Ubi, ut vides, clare supponitur, & demonstratur quaedam peccata remitti in futuro seculo, id est, post hanc vitam per orationes, & suffragia Ecclesiae, ut exponunt S. Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 39. S. Augustinus lib. 21. de Civitate Dei cap. 24. & lib. 6. in Julianum cap. 5. S. Bernardus Homil. 66. in Cantica, & alii passim.

Item ex 1. ad Corinth. cap. 5. n. 15. ibi: *Ipsa autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, quem locum Scottus in 4. dist. 41. q. 1. lit. A; & communiter alii Patres, quos fuse adducit Faber disp. 36. de Purgatorio cap. 1. intelligunt de Purgatorio.*

Item ex 1. ad Corinth. cap. 15. n. 29. ibi: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid & baptizantur pro illis? Ubi Patres, & signanter Dionysius, Hugo, Gagnejus, & alii in hunc locum, Ephraem in suo Testamento, Petrus Cluniacensis in lib. Contra Petrobrustianos, Bellarm. loc. cit. cap. 6. vers. Et igitur dicunt, & exponunt, quod Apostolus ibi loquitur de Baptismo lacrymarum, & Pœnitentiae, qui suscipitur orando, jejuniando, elemosinas faciendo, se affligendo, & hujusmodi ita ut sensus sit: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* Id est, quid facient, qui orant, jejuniant, gemunt, affligunt se pro mortuis, si mortui non resurgunt? Et revera baptizari passim in Scriptura accipitur pro patti, & affligi, ut Marci 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & Baptismo, quod ego baptizor, baptizari?* Luc. 12. ibi: *Baptismo habeo baptizari*; Unde Patres passim vocant poenitentiae afflictionem Baptismo laboriosum & secundam tabulam, S. Ciprianus in sermone de Cena Domini: *Lacrymis, inquit, te baptizat*, S. Gregorius Nazianzenus in Oratione de Epiphania: *Scio, inquit, quantum Baptisma, quod per Mariarium, & sanguinem fit: scio & quantum lacrymarum & poenitentiae, & commisit illi passim.**

Alia plura Scripturae loca brevitate gratia relinquantur videnda cum variis Conciliis, plurimis Sanctis Patribus, & solidis rationibus apud Brancatum r. 4. de Omnibus Novissimis disp. 26. art. 2. §. 1. Bellarm. de Purgatorio lib. 1. per tot. Patrem Antonium à Venetiis in Ecclesia Jesu Christi contra Pieninum r. 2. c. 16. art. 8. per tot. Panigarolum, & alios.

Purgatorii locus communis secundum Legem communem & ordinariam Dei est in ipsis terrae visceribus, & Inferno conjunctus, Sic Communis cum S. Thoma in 4. dist. 20. S. Bonaventura ib. part. 1. quest. 6. Bellarm. de Purgatorio lib. 2. cap. 6. lit. B. Mastrius in Theolog. mor. disp. 24. quest. 1. art. 1. num. 9. Et colligitur ex variis Scripturae locis, & signanter ex cap. 2. Aetorum, ibi: *Solutis doloribus Inferni, quae verba S. Augustinus Ep. 99. intelligit de penis Purgatorii. Id. ex cap. 2. ad Philippenses, ibi: In nomine Jesu omne genuflectatur Coelestium, Terrestrium, & Infernorum, ubi per ly Infernorum intelliguntur solum Animae Purgatorii, cum nequeant intelligi Animae in Inferno damnatae, quae tantum abest, ut Christo genuflectant, quod potius illum continuo blasphemant, juxta illud Psalm. 75. num. 23. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Item ex illo Psalm. 113. ibi: *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in Infernum, quae verba indicant etiam aliquos, qui descendunt in Infernum, id est, in inferiores terrae partes Deum laudare: quod cum nequeat intelligi de damnatis in Inferno, qui ex dictis Deum semper blasphemant, intelligi debet de existentibus in Purgatorio, ut communiter Patres exponunt. Item ex cap. 5. Apocalyp. ibi: *Nemo inventus est dignus aperire librum, neque in Caelo neque in Terra, neque subter Terram.* Ubi cum Apostolus Joannes non enumeret nisi Justos, aperte indicat etiam sub terra esse Justos, id est, Animas Purgatorii: Unde etiam Ecclesia in Missa de Defunctis dicit *Libera Domine animas omnium Fidelium Defunctorum de penis Inferni, & de profundo lacu*; & id confirmatur ex visione, quam**

refert Beda lib. 5. cap. 13. *Historia*, ubi aperte visum est Purgatorium Inferno damnatorum contiguum. (Vid. tamen verb. Infernus in nov. Art. num. 9.)

Dicitur autem notanter Purgatorii locus communis secundum Legem communem, & ordinariam Dei, quia secundum Legem Dei particularem, & dispensationem Divinam interdum aliquibus animabus destinatur pro Purgatorio aliquis locus particularis, vel quia in ipso peccaverunt, vel propter nostram instructionem, ut aliquando recogitemus, magnum post hanc vitam poenam infligi peccantibus; vel propter earum celeriore liberationem, ut possint aliis suam indigentiam revelare, vel propter alicujus Sancti impetrationem, sicut legitur, quod S. Patricii impetravit cuidam, quod puniretur in quodam loco in terra; Sic expresse docet S. Bonaventura in 4. d. 20. p. 1. q. 9. quem dicendi modum sequuntur omnes recentiores, teste Mastrius loc. cit. num. 9. in fine. Et ad id referuntur plurima exempla à Patribus, & Scriptoribus, & signanter, à S. Gregorio loc. 4. Dialogorum cap. 40. & 55. qui refert Animam Paschasii, & cujusdam alterius in balneis quibusdam fuisse purgata, à S. Petro Damiano Ep. 13. ad Desiderium cap. 7. de miraculis sui temporis, ubi describit visionem de purgatione animae S. Severini in quodam flumine, à Dionys. Carthusianus in Dialogo de judicio particulari art. 31. ab Hugone de S. Victore loc. 2. de Sacram. p. 16. cap. 4. & ab aliis passim.

Purgatorium non est aeternum, sed temporale. Communis, & clare habetur ex 1. ad Corinth. cap. 3. ibi: *Salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, quibus verbis significat Animas Purgatorii ab illis penis tandem evasuras. Unde Purgatorium non est ultra diem Judicii universalis, & finalis duraturum. Communis, & aperte habetur ex cap. 25. Matthaei, ubi expresse dicitur, quod omnes adulti secundum opera eorum judicabuntur, & boni in Caelum, mali autem in Infernum finaliter deputabuntur.

Animae in purgatorio plene purgatae recipiuntur in Beatitudine ante diem Judicii. Communis, estque definita à Benedicto XII. Const. incip. *Benedictus Deus* contra illos, qui dicebant Animas in Gratia decedentes, non recipi in Beatitudinem nisi post diem Judicii.

Quantum tempore unaquaeque Anima in Purgatorio detineatur; Nulla certa habetur definitio. Sotus in 4. sentent. 19. quest. 3. art. 2. dicit, neminem manere in Purgatorio ad decem annos; Nam, dicit ipse, cum nemo illic sit, nisi Dei amicus, contritio ejus, & post Christum passum Sacramento, & Suffragia, & bona, quae egit, opera ad curam et satisfactionis accedunt; In summa non est credibile, ut quos poenarum accumulatione expedire Deus brevis inde potuit, temporis prolixitate detineat. *Hac ipse loco citat.* At vero communis Doctorum sententia docet, quamplures animas in penis purgatorii longe majori tempore detineri, ac proinde terminum assignari non posse, ultra quem purgatorii poena non duret, & huc communi sententiae contra Sotum, & paucos alios favet Ecclesiae praxis, & universalis consuetudo, quae anniversaria Sacra celebrat pro Defunctis; etiam constet eos ante centum, vel ducentos annos esse mortuos; quod certe non fieret, si Ecclesia crederet non puniri animas ultra decem annos. Tum quia plurimae revelationes, visiones, & Ecclesiasticae Historiae ostendunt plures animas diutius in purgatorio detineri, uti referunt S. Bernardus in vita S. Malachie, Carthusianus in Dialogo de judicio particulari num. 31. Beda loc. 5. *Histor.* cap. 13. Henriquez lib. 7. cap. 16. lit. I. ubi ex Surio notat de Innocentio Papa III. quod esset usque in diem Judicii in purgatorio detentus, Viva ad proposit. 42. ex damn. ab Alexandro VII. num. 7. refertur, quod pauci ab hinc annis in quodam Conventu prope Neapolim apparuit Religiosus, qui fere centum ab hinc annis decesserat, & suffragia postulavit, & similiter de pluribus aliis referunt passim scriptores; Unde merito ab Alexandro VII. die 18. Martii 1666. fuit inter alias damnata sequens propositio

43. in ordine ibi: *Annum Legatum pro anima relicta non durat plus quam decem annos.*

Animae in purgatorio cruciantur vero igne corporeo, & ejusdem speciei cum nostro elementari; Communis, & clare desumitur ex 1. ad Cor. cap. 3. num. 15. ibi: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, ubi ut vides, dicitur existentes in purgatorio salvas fieri quasi per ignem. Nec obstat illa particula quasi, quia ut advertit Faber disp. 36. cap. 4. cum pluribus aliis, & Mastrius loc. cit. quest. 2. art. 1. num. 23. illa particula non est diminuens veritatem ignis, sed explicat modum, quo illi salvantur, & liberantur, qui est median- te illo instrumento ignis, ita ut sensus sit, quod illa ignis est quasi causa salutis earum, quamvis non sit causa principalis, est tamen causa instrumentalis cum medio illo igne purgantur, & sic liberentur ab alio carcere.

Potest etiam dici, quod illa particula quasi signum sit veritatis, non similitudinis, ut Joannis cap. 1. num. 14. *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi Unigeniti*, quem locum sic explicat Euthymius; *Gloriam non qualis est Sanctorum beatorum, vel Angelorum, sed gloriam vere Unigeniti, nam hic dictio (tamquam) idem significat quod vere.*

Animae in purgatorio non torquentur à demonibus tamquam Divinae Justitiae Ministris, sed ab ipsa Divina Justitia immediate per ignem tamquam per instrumentum obedientiale puniuntur, & purgantur. Sic Communis Theologorum cum S. Thoma in 4. dist. 20. art. 5. S. Bonaventura ib. Richard. ib. Mastrius loc. cit. quest. 7. art. 1. num. 24. Coninch. de purgatorio disp. 11. dub. 3. in fine, & alii passim contra paucos tenentes contrarium per hoc, quod aliquae visiones, & apparitiones videantur ostendere, quod animae purgatorii torquentur à demonibus; & ratio nostra est, quod omnes Animae purgatorii in ultimo confictu demones superarunt, & victoriam contra ipsos in hac vita reportarunt; ergo non decet Divinam Justitiam, ut sinat eas cruciari in purgatorio ab hostibus, quos ipsae in hoc Mundo vicerunt; Tum quia indecens est, ut Deus utatur demonibus tamquam Ordinariis Ministris ad amicos suos puniendos, cum id non facerent in Divinae Justitiae executionem; sed potius ex odio in genus humanum, & pessima voluntate, ut faciant in Inferno. Nec obstant visiones & apparitiones, quae id videntur ostendere, & signanter illa, quae refertur in vita S. Bernardi loc. 1. cap. 10. in qua dicitur, quemdam Religiosum illi apparuisse cum quatuor, qui ipsum dilaniabant, & postea fuisse liberatum precibus ejusdem Sancti, & aliae similes, quas referunt Beda loc. 3. *Hist. Angelic.* c. 19. Dionysius Carthusianus lib. de quatuor novissimis, & alii. Non obstant, inquam, quia, ut recte advertit Mastrius loc. cit. n. 24. & alii, tales visiones, & apparitiones sunt symbolicae, & allegoricae, & à Sanctis, & Scriptoribus narratae hoc modo ad ostendendam poenarum illarum acerbiteriam, quae à nobis intelligi nequeunt, nisi per exempla nobis connaturalia.

An Animae in purgatorio existentes possint pro nobis orare, & aliquid nobis de congruo mereri, vel impetrare? Et an miracula facere possint, cum plurimis aliis ad rem; Vide verb. Anima per tot.

De purgatorio Catholicum Dogma est, quod, qui vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus, de commissis, & omnis satisfecerint, eorum animae poenis purgatorii post mortem purgari debeant. Et ut à penis hujusmodi releverent, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, Orationes, Elemosynas, & alia pietatis officia, quae à Fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta, probat Benedict. XIV. Tom. 1. Const. 17. incip. *Erri Pastoralis*. §. 1.

Hic juvat refutare falsam opinionem vulgarem de existentia Putei, seu purgatorii, vulgo dicti S. Patricii, quae opinio à pluribus seculis adeo invaluit, ut etiam in Breviariis aliquarum particularium Ecclesiarum fuerit commemorata existentia dicti Putei, seu purgatorii

Sancti Patritii, & signanter in Breviario Ecclesie Parisiensis edito anno 1622. ibi: *Antrum vero penitentiale etiamnum visitur, quod de ejus nomine Puteo, seu purgatorio Sancti Patritii vocatur.* Et in Breviario Venetis ann. 1522. per Antonium de Giunta impresso habebantur lectiones totæ fere de hoc Puteo, seu purgatorio. Ast biennio postquam prodierant, ab ipso Breviario, Pontificio mandato, fuerunt expunctæ, ut patet ex iterata ejusdem Breviarii impressione per eundem Giuntam anno 1524. facta. Uti etiam Romana Sedes negavit, hanc Historiam de Puteo, seu purgatorio prætenso Sancti Patritii inserendam, ut petebant, in Breviario Romano. Videantur ad rem Eruditiss. Bollandæ ad diem septimam Martii in *legenda Sancti Patritii* §. 5. & 6. ubi omnia à variis Scriptoribus de hoc prætenso Puteo, seu purgatorio circumscribuntur, & referuntur, quod serio exploratis omnibus, quæ de hoc asserto Puteo, seu purgatorio circumferebantur, & compta ad integrum ejus existentie falsitate, fuisse de mandato Alexandri VI. fossam illam pro dicto Puteo, seu purgatorio falso prædicatam, habitam, & creditam, penitus obstruasam, uti & refert exactissimus Petrus Le Brun nella *Storia Critica delle patriche superstitione, tomo terzo, italico sermone edita, nella dissertazione sopra il purgatorio di San Patrizio*, ubi subjun-
Et sic:

«Convengono assai bene queste circostanze con ciò, che è detto dal Vareo nelle sue antichità d'Irlanda che nell' mille quattrocento noventa sette un Guardiano dell' Ordine di S. Francesco fece demolire esso luogo per autorità del Papa Alessandro VI. ubi *non sine insuper addit*, non rehera noja il leggerne i propri termini, con cui se n' erudisce il Signor Girardo Boato nella Storia naturale d'Irlanda alla pagina 137. ibi.

«Nel lago di Dirg. il quale è nel numero, di que' della mezzana spezie, sta piantata una di esse Isolette, che è stata in gran grido in tutta la Christianità per più secoli, perchè si era fatto credere al Mondo, che in quel luogo si trovassero i Sobborghi del purgatorio, è che coloro, che avevano il coraggio d'entrarvi, e di dimorarvi il tempo presisso, vedeservi, e vi notassero terribili, è straordinarie cose. Ha durato una tal opinione sino al nostro tempo; ma finalmente si è discoperto, ciò non essere, che una pura illusione. Avvenne questa discoperta sotto il governo di Riccardo Bolle Conte di Cork, e di Adamo Losso Visconte di Eli, Cancelliere d'Irlanda, il quale governava quel paese negli anni ultimi del Re Jacobo. Indotti dalla curiosità di rilevare il vero d' un tal affare, spedirono essi Signori sopra luogo alcune persone di probità per praticarne un ricercamento esatto. Esaminante che ebbero appunto le cose tutte, rinvennero dettate persone, che la pretesa miracolosa caverna, che davasi ad intendere, calare fino nel Purgatorio, e nell' Inferno, non era altro, che una celletta scavata in un fondo di rupe, senza finestra, e senza apertura, e si tenebrosa, che quando n' era serrato l'uscio non entravvi qual che fosse raggio menomo di luce: del restante si bassa, che appena poteva un nomo di alta

statura introdurvisi in piedi, e si picciola, che contener non potea se non sei persone, o sette al più. Qualora capitava in quell' isola taluno involgiato di fare il viaggio del Purgatorio, alcuni pochi Monaci, che d' ordinario soggiornavano quivi presso, digiunari il facevano, e veggiare straordinariamente, trattenevadolo per tutto quel tempo delle terribili cose, ch' egli vedrebbe nel suo viaggio sotterraneo; e dopo averlo così preparato, lo rinserravano in quell' oscura, e tenebrosa buca, donde qualche tempo dopo ritiravano per modo stordito, che il viaggiatore meschino senza essersi punto mosso dalla prima sua situazione, dicea d' essere penetrato assai dentro la terra; e narrava strane avventure vedute all' asserir di lui, nel suo cammino, conformi a quelle idee ed impressioni, che gliene avevano formate i Monaci prima di metterlo in essa buca, e di qui empiuto avevano il vuoto di lui cerebro affievolito dalle lunghe viglie, e dagli anteriori eccessivi sofferti digiuni, valevoli a stemperare un intelletto anche meglio composto.

«Per impedire in avvenire si fatte furberie, ed imposture, i prefati Signori costrinsero in Monaci ad abbandonare le loro abitazioni, e a distruggere quella celletta, la quale da quel tempo innanzi rimase discoperta, ed esposta alla vista di tutti; cosichè di poi più non si è udito parlare del viaggio del Purgatorio.

«Per dar credito a questo viaggio del Purgatorio, si era dato ad intendere al popolo idioti, e superstizioso, che S. Patrizio, da cui gli Irlandesi furono convertiti al Cristianesimo, quattrocenti anni, o a un dipresso dopo il nascimento del N. S. Gesù Cristo, l' aveva ottenuto da Dio per mezzo delle sue orazioni, e istituito per convincere coloro, che non credevano l' immortalità dell' anima, nè le pene ingiunte per la punizione de' malvagi dopo morte. Quindi li fu imposto il nome di Purgatorio de S. Patrizio: ma egli è cosa fuor d' ogni dubbio, che in vita d' esso Santo non aveasene conoscenza veruna in Irlanda, e che non se n' è ragionato, che di là a lunghissimo tempo; essendo la verità, che è stata quest' un' invenzione de' secoli posteriori, autorizzata dall' ignoranza, che allora correva, e che di molto favoreggiava gli Autori di somiglianti imposture, i quali introdussero ovunque la superstizione, onde valersene scaltamente della divozione del popolo, per rendere soddisfatti l' infame e sordida loro avarizia.

Hæc ad convincendam, & penitus eliminandam errorum, falsam, ac supersticiosam opinionem, & credulitatem penes idiotas, necnon aliquos etiam prætenso eruditos adhuc in dies vigentem, ut non semel egomet ipse audivi, impulsus sum his additionibus adnectere.

PYROMANTIA.

Vide verb. *Superstitio* num. 19.

PYTONIA.

Vide *ibidem* num. 27.

AD-

ADDITIONES OMISSÆ INSERUNTUR.

Extraneum non judicabitur, additionibus seu prætermissis notis in hoc Tomo VII. prælectis, correctionem literarum, hic & Tomo X. contentarum, subsequenter reperiri; per necessarium fuit estimatum, quæ menda in quolibet volumine inveniuntur, in X. Tomo inseri non potuit ita in effectum perducere eo, quod huic Tomo VII. Tomo nulla erant alia folia, prælo commissa, præter ea, quæ ibi signantur: ex decimo inserto aliqua non videbatur necessaria, cum omnia in eo contenta ad idem opus præsertim quæ in Indice Generali proponuntur, referantur: inde erat, quod tamquam parum consentanea quælibet correctionis adnotatio rejicienda videbatur; nihilominus post additiones omissas notantur quæ in utroque noscuntur: in VII. ordinem, in quo supersedi, sequendo, & in X. dumtaxat quæ Generali Indici præcedunt.

Pag. 41. col. 1. post num. 52.

❖ Mea conclusio dicit, si Parentes maledicant filiis solum materialiter, ubi ly *solum* quid minus importat, & talis maledictio solum materialis ratione sui tantummodo non est mortalis, sed solum venialis, præscindendo à quocumque scandalo, seu malo exemplo, aut pravo habitu non semper intervenientibus, præsertim in mulierculis, & hominibus infimæ sortis, ut patet in hujusmodi matribus, quæ nullo præsentem, aut audiente laudando, aut fasciis ligando suos inquietos, & ululantes tenellos, in similes solum materiales maledictiones quandoque erumpunt, quæ, ut ita loquar, guttur non transeunt. Quod si in aliquibus interveniat grave scandalum, seu grave malum exemplum, aut pravis habitus, tunc certe ipsi mortaliter peccarent, sed non ratione dictæ solius maledictionis materialis, ut est mea conclusio, sed ratione illius gravis scandali, seu gravis mali exempli, & pravi habitus. ❖

Pag. 57. col. 1. post num. 72.

❖ Conclusio mea non dicit, quod Censuræ semper inducant peccatum mortale, sed quod non soleant imponi nisi graviter peccantibus, seu nisi ob culpam mortalem; textu expresso in c. Nemo Episcoporum 45. caus. 11. quest. 3. ibi: *Quia anathema æterna est mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine; ut ex communi sententia inter alios tradit expresse celeberrimus Gabriel Antoine editionis Romanæ ab ipsomet Theologo cum aliquibus additionibus semel, & bis typis traditæ in tr. de censuris, quest. 3. ubi sic habet: Quest. III. quænam culpa requiritur ad contrahendam censuram? Respondet; ex communi sententia non contrahitur saltem censuræ totalis, nisi ob culpam mortalem externam continenter commissam contra præceptum Ecclesiasticum. Itaque ad hoc requiritur culpa mortalis, ex cap. nemo: cap. nullus 11. quest. 3. quia censura est gravis pena, quæ prior magnis bonis spiritualibus: pena autem debet esse commensurata culpæ; alia esset injusta; ex cap. 5. de panis in 5. ubi jubetur; ut iudex panam metiatur ex culpa; at peccatum veniale est culpa levis in suo ordine, seu in ordine, ac linea peccati. Hæc ille, & Theologus noster, qui hic censuram seipsum. Et quod ipse in sua nota subdit: Et viceversa mortale peccatum non semper censuris aliisque pœnis Ecclesiasticis coercetur, debuerat reticere, quum id neque per somnium censuerim Ego, atque sit etiam lippis ac tonsoribus notum. ❖*

Pag. 58. col. 1. post num. 94.

❖ Quoad residentiam, cui obligatur Parochus, sententia mea, à qua non recedo, fuit à me tradita num. 16. immediate antecedenti, ubi inter alia adduco ad id duo decreta S. C. C. Opinio autem doctorum num. 17. allegatorum adducitur à me ad eruditionem, & pro his lo-

FRERRÆ. BIBLIOTHEC. TOM. VII.

cis, in quibus, ex immemorabili consuetudine, quæ est optima legum interpret. L. si de interpretatione 37. ff. de legibus c. Cum dilectus 8. de consuetudine. Parochi relicta domo parochiali, nullo contradicente, pacifice resident in domo propria, vel paterne, vel conjunctorum, & æque commodè ex ea omnimode munus suum adimplere, ut plurimi adhuc in dies videntur, ut notum est, tacentibus, seu consentientibus, aut tolerantibus Ordinatis sine ullo detrimento, & clamore Parochianorum. Eo vel maxime, quod allatum decretum in Pontis Corvi Residentiæ 20. Decembris 1755. loquitur in casu Sc. ibi: *An Abbatii Curato Licemario liceat habitare in domo paterna sita in Regione Civica in casu Sc. Negative. In quo casu concurrant circumstantiæ alibi non concurrentes, ut patet in expositione casus Eminentiissimi Furietti, tunc S. C. Secretarii, ubi inter alia sic exponit. Audius Episcopus respondit (contra advenum assertum) limites esse Parochiæ, neque defectorum domum Parochialem, si eam Lucernarius non alienasset, nec illum cogere habitare, eamque ampliorē, & commodiorem facile à Parocho reddi potuisset ubi veritas Parochia rediitibus, in magno Parochianorum detrimento maluisse in propria domo habitare, ex qua præsto esse nequit nocturno præsertim tempore Parochianis suis, tum ob loci distantiam, tum ob difficultatem viarum. Resolutio autem S. C. cum clausula in casu, de quo agitur; non potest allegari pro aliis causis, in quibus ipse circumstantiæ non concurrunt; ut recte doctissimus Pitonius tradit quest. 4. dist. 109. num. 8. sic expresse dicens, ut in puncto advertit Monacel. in Form. For. Ecclesiast. p. 22. in epistola ad lectorem, ibi: quoties enim S. C. iudicat, suum decretum adaptari non posse, nec debere nisi casui proposito, solet rescribere Negative, seu Affirmative in casu Sc. Hæc, inquam, sunt illa decreta, quæ allegari non possunt ad decisionem causarum, nisi concurrant ipsæ circumstantiæ, quæ referantur in casu particulari proposito; nam decisio casus circumstantiati non est universalis, sed particularis in concreto illarum circumstantiarum, in quibus emanavit. Card. de Luca in adnotat. ad Concl. discurs. 1. num. 11. Pignatelli. consultat. 1. num. 18. tom. 1. & Ego scripsi disceptat. Eccles. 50. num. 19. & dixit Rota in Romana Pensionis 15. Martii 1694. §. Non potest, coram Eminentiis. Priolo. Sic expresse eruditissimus Franciscus Maria Pitonius dist. part. 4. disc. 102. num. 8. ❖*

Pag. 66. col. 2. post num. 107.

❖ Debat Theologus adnotare, quod non est mea illa opinio Bonacina, quam carpit; etenim sententiam meam Ego produco sub num. 37. & seq. sic expresse concludens: At vero quoad illos Confessarios sive Regulares, sive Regulares, quibus ab Episcopo concessa est solum conditionata facultas excipiendi secularium Confessionem cum hac, vel simili conditione, de licentia tamen Rectorum in Ecclesiis eorum seu solum consentiente Rectore Ecclesie; Ego sentio, nisi aliter constet de mente Episcopi quoad vim istius conditionis, quod non possint dictas Confessiones excipere in Ecclesiis Parochorum, nisi accedat eorum licentia, aut consensus, &c. Quod probò, prout ibi videri est. ❖

Pag. 67. col. 2. post primum num. 4.

❖ Ast debet hic, ut promiserat adnotare Theologus, quod Ego jam id abunde tradideram, adducendo omnes allegatas Pontificias Constitutiones, nempe illam Benedicti XIII. incip. Ex quo in verb. Immunitas, art. 2. num. 90. illam Clementis XII. incip. In supremo justitie solio in additionibus verb. Immunitas num. 54. illam Benedicti XIV. incip. Officii nostri in supplem. verb. Immunitas. ❖

Ddd 2

Pag.